



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Landrada V. 8. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

colit; erit enim totus velut Angelus celestis in terra cum reverentiâ & amore sacrificans Domino. S. Ephrem in Beatitudinibus.

S. LANDRADA V. 8. Iulij.

SCITE LANDRADA Virgo genus suum, quod est Principum Gallorum stemmate ducebat, novit estimare, dum despectis, qui multi illam deperiebant, terræ filiis omnibus, uni Agno intactam servavit sese. Doluit id multum parentibus, ut qui generos, qui nepotes sperabant. Sed maluit illa familiam emori, quam virginitatem; & satis se oblectabat numerosâ, quam domi alebat, pauperum sobole. His illa ultima servitia exhibere, interim pretiosum pudorem sub vilibus ancillarum pannis tegere, denique, quod tutior hinc foret, in ultimas solitudines asportare; si tamen solitudines recte dicimus, quas ab adventu ipsius Cælitæ deinceps cantu suo frequentarunt, lumine exhilararunt. Et fuit, cum hi ipsi, festiva inter tripudia, Maemosynon illi à sponso crucem artificiosam cælo detulerunt. Huic illa mox aram; aræ templum; templo se suaque dicare ad ultimum vitæ diem usque. Ab hoc spectabilis Lamperto Episcopo tumulum eo in loco se velle significavit, in quem delapsa primum Crux foret: quod ne fieret, cum homines intercessissent, bonam operam boni Angeli locarunt, suisque manibus castissima membra eò deportata composuerunt. Tam nobiles Virtus Vespillones habet. *Ex Surio.*

Memor esto arrepti propositi, & imaginem tibi propone Crucifixi. Bene verecundari potes, inspectâ vitâ IESU Christi, quia nec dum magis te illi conformare studuisti, licet diu in viâ DEI fuisti. Thoma Kemp. l. i. c. ult.